

V 6
3





H. X, 26.



Vides Minus hostia laudibus enucleat
-uoy amonagem. Erenoxe uipen aivis enuo
-mminutes est. pve vltorun omni eruditionis re
-nere excellen in postulatitiam. Q. vepid
-simis. Q. amantitiam. Q. vltorun omni eruditionis re

Ad

audiendam Orationem,

de

FERRIFODINIS

V. Id. Octobr. MDCLXXXIX.

a II. pomeridiana

in


*illustri Lyceo Altenburgerensi
habendam,*

Scholasticæ rei

Patronos & Fautores

decenter invitat

M. Joh. Müller/Rector.



Literis Gothofredi Richteri, Ducalis Typographi.

*De felicitate Misericordie et de magis
Argenti de eia. Todini. 1789*

Quibus Misnia nostra laudibus enitescat, charta brevis nequit exponere. Magnorum voluminum res est, quæ virorum omni eruditionis genere excellentium postulat industriam. Quicquid certe ullibi terrarum naturæ benignitas diviniqve Numinis clementia hominum usibus & gloriæ impertiit, cumulatissime in eadem deprehendimus. Nolumus dicere, quod figura ejus sit triquetra seu triangula, quam cum Ægypto, Britannia, Sicilia aliisque locis, quin & ipso Paradiso habet communem, Christophorusq; Manlius sequenti celebravit (α) epigrammate:

α) Cit. Petro
Albino Misn.
Chron. tit.
XIII. f. 176.

Tota fere triquetra regio conclusa figura est,
Quæ vetus a Mysis Mysnia nomen habet.
Supremum teneat Cælegia prisca cacumen,
Qua Sala Albiacas confluus auget aquas.
Lævum Picalatus, dextrum vagus occupet Albis,
Sudetes imæ ceu basis instar habent.
His terram metis definiit ipse Melanchthon,
Eudoxusq; sui temporis Homilius.
Nec tamen errarit, si quis fastigia montes
Piniferos, Albim mavelit esse basin;
Dextrum Sala latus sic clauderet, Egra sinistrum,
Et concinna magis forma triquetra foret.

Neque differemus de urbium, quibus gaudet, multitudine atque excellentia, quas inter eminent ubiqve gentium celeberrima Lipsia, quæ ingeniosissimi Poetæ (β) verbis
urbs compendiolum est Orbis, & orbis amor;

β) Friderici
Taubmanni
lib. II. Elegiar.
p. m. 431.

γ) Dissert.
de LL. p. m.
17.

Ut & augustissima Dresda, de qua visa qui gloriantur, & nobile illud Armamentarium, Equile illud Martium, illud acuminis humani vix humanum spectaculum, *Τεχνηματοφυλάκειον*, non perviderunt, eodem (γ) iudice, *umbram Dresdæ illi viderunt, non ipsam.* Ista vero cum multis aliis laude immortalis dignissimis rebus silentio præterituri, sequentium modo rationem nunc habebimus. Sancto Dei cultu quid salubrius, quid sublimius, quid laudabilius? Gemma est thesauris mundi
omni.



omnibus nobilior. Solis naturam refert, ceterorum decorum
sidera suo fulgore obtenebrans. Ubi autem eadem ille fin-
ceritate viget, qua in nostra Misnia? Postquam enim, dis-
pulsis errorum Pontificiorum tenebris, divini verbi lumen su-
periori seculo nitidissime relucere coepit, complures provincie
illius radiis sunt illustratae. Nulla tamen aequae magnam illius
perfectionem, ac patria nostra dulcissima, potest ostendere.
Siquidem in aliis claritatis & caliginis, diei atque noctis h. e.
boni & mali, veri atque falsi, orthodoxae ac haereticæ do-
ctrinae dantur confinia; apud nos autem, quae mirifica Dei
est benignitas, evangelici splendoris lux nullius haereseos vi-
cina nube circumvolvitur. Nemo a sancti codicis lectione
repellitur. In fidei mysteriis humanae superstitionis rationis-
que calliditates atque ineptiae prorsus negliguntur. Tempora
nostra, omnibus in oppidis atque pagis, iisdem personant vo-
cibus, quibus Bibliorum intonant buccinae. Foederumque
divinorum pignora, quae Sacramenta dicimus, tam illibata ha-
bemus, quam instituentis Servatoris gratia proposuit. Quo
quid felicius vel dici vel cogitari potest? A purae religionis ex-
ercitio si discedamus, nulla res mortalium animis majori tran-
quillitati esse potest, quam justitiae custodia. Ea obbrutescen-
tium hominum pectora ita flectit, ut omnem exuant ferita-
tem, naturaeque facilis assuescant mansuetudini. Si qua vero
regio tranquillam ei praebet sedem, est nostra Misnia. Poeti-
cae vanitatis figmentum credimus, justitiae praesidem, Astrae-
am, ob crescentem humani generis malitiam, relicta terra, in
coelum subvolasse. Aut enim ab omni veritate illud remo-
tum, aut coelum ejusmodi nostram patriam esse dicimus, quod
illa sibi hospitium elegit. Innumeri profecto a Serenissimis
Patriae Patribus constituti sunt Ordines, juris aequabilem te-
nentes rationem, & infimis quoque suum tribuentes. Non
pauci casarum dantur Patroni, qui pro publica salute mis-
erorum propugnationem suscipiunt. Proposita sunt probis
rerum laudabiliter gestarum praemia, ab improbis contra pro-

delictorum ratione supplicia experiantur, ut quilibet in optatissima quiete securam vivat vitam. Quid de bonarum artium studiis commemorabimus, quibus illa præstat domicilium? Dudum jactare desit Græcia, suis in montibus, Helicone, Parnasso aliisque, habitare Musas cum Apolline, Migrarunt inde, ut in reliquas Europæ terras, ita in nostram quoque Misniam. Invidia frendeat Itali cum aliis, doctrinæ principatum sibi vindicare conantibus. Habuit ista, & adhuc possidet viros, quos grandiloquæ illorum magnificentiæ, cordatis plaudentibus, potest opponere. Non enim Gymnasiis tantum abundat quamplurimis, quæ juvenilem ætatem omnibus impertiant doctrinis, quibus egregia pectora debent imbui; sed inclyta etiam gaudet Academia, e qua subinde multo plures egrediuntur, qui Patriæ commoda incredibili cum laude administrant, quam olim, tradentibus Poetarum filiis, ex equo Trojano Heroes invictissimi. Qui tandem calamus sufficiet enarrandæ omnium rerum abundantiæ, quas non incolis modo, sed aliis etiam hominibus cumulatisime ista suppeditat? Non omnis tellus omnium copia affluit.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ;

Arborei foetus alibi atque in jussa virescunt gramina.

Aliæ aliarum rerum proventu superbiunt. Misnia vero sic abundat omnibus, ut sat magnis laudibus efferri nequeat. Nihil de inusitata volatilium, quadrupedum, pisciumque multitudine libet dicere, quæ non necessitati solum hominum, sed & deliciis inserviunt. Neque agemus de vineis, uvas generantibus si non omnium optimas, certe optimarum non penitus dissimiles. Paucula tantum de terræ fertilitate volumus adjicere. Ægyptus olim in triginta dividebatur Nomos seu Præfecturas, quarum tertia *Phthemputi*, h. e. *caelum Deorum* dicebatur, quoniam, juxta *Athanasii Kircheri* (d) opinionem, reliquos omnes cum foecunditate tum amoenitate facile superabat. Misnia meliori jure *caelum* est non fictitiorum deastrorum, sed supremi Numinis, quo concedente tanta frugum
uber-

(d) Oedip.
Ægypt. Tom.
I Synt. I. cap.
III. f. 17.

ubertate locupletatur, ut reliquis provinciis Germaniæ, cuius
meditullium ferme occupat, palmam faciat dubiam. Licet ^{(e) lib. 1. per-}
enim de ea tradi nequeant, quæ *Martinus a Baumgarten* ^{(e) de} *Ægypto* memoriae prodidit, *vidimus*, in *Ægypto* agrico- ^{egrinat. sua}
las bis metentes; bis enim metit Ægyptus, semel Aprili, iterum Septembri;
& quæ *Philippus Caroli* alicubi retulit, in *Hispaniola* novi orbis fru-
menti spicas adeo ingentes esse, ut humano brachio æquen-
tur; duo quoque granorum millia singulas spicas continere.
Optimo tamen jure, ut *Livius* ^{(?) Campanum}, nos Misnicum a ^{(?) lib. 7. c. 38.}
grum vocare possumus *uberrimum*. Siquidem illius proven-
tus non alendis tantum incolis est sufficiens, sed & aliorum
inopiam largissime sublevat. Frumenti per universam *Trans-*
sylvaniam magna est copia. Præter experientiam quotidiana-
nam testatur id *Trajani Cæsaris* numus, in quo *Ceres* erecta,
dextera tenens cornu *Amaltheæ*, læva tabellam cum hac epi-
graphie: *ABUNDANTIA* ^{(n) DACIÆ}. Neque minori in ce- ^{(n) vid. Ber-}
lebritate versatur *Misniæ* fœcunditas. Esto enim, nullos ejus ^{ii Tab. Ge-}
in laudem numos esse cufos; literarum tamen monumentis, ^{ograph. in}
omni ære perennioribus, aliorum notitiæ a viris celeberrimis ^{descr. Trans-}
est consecrata. E compluribus *Johannis Jansonii* ^{(S) verba ad-} ^{it. Atlantem}
duxisse suffecerit: *Das ganze Land Weisen bringet des* ^{minorem}
Getreides eine solche Menge / daß es auch alle umliegende Län- ^{Hondii p. m.}
der damit versehen kan / ist darneben auch an Wein / Honig und al- ^{146.}
terley Vieh gewoltig reich. Iste etiam illius tractus, qui mon- ^{(S) in Neu-}
tibus altissimis est valde asper atque horridus, inauditas con- ^{en Atlas ed.}
tinet divitias. Nam quæ *Athanasius Kircherus* ^{(i) asserit: Quid} ^{Amsterdam}
montes aliud sunt quam metallicorum corporum promiss condus inexh- ^{1638. Tom. I.}
stus, in quorum concavitatibus per abditos meatus ignis subterranei virtute ^{lit. II. de Mis-}
& energia velut in fornace quædam decocta & ad maturitatem desideratam ^{nia. Vide et-}
deducta in usum mortaliæ egeruntur. Eadem veritas de montanis ^{iam Albini}
Misniæ locis incredibiliter comprobatur. Ecquis tam egregiis in- ^{Misn. Chron.}
genii dotibus in eruditorum numero exsplendescit, qui vel ore ^{tit. XV. f. 185}
vel calamo exprimere valeat, quanta inde commoda *Serenis* ^{(i) lib. II. cap.}
simi Patriæ Patres cū innumeris subditis perceperint? *Miris lau-* ^{VIII. mundi}
dibus ^{subterr. f. 68.}

(v) lib. X.
Mund. Subt
cap VIII f
210.

(λ) Theatro
Orbis Terra-
rum f. 8.

(u) v. Albini
Berg Ebriō.
tit. II. f. 17.

dibus ex Acosta prædicet jam dictus (u) Kircherus, in toto terrarum orbe non inventum esse locum, qui majorem auri argentiq; copiam præbuerit, quam Peruvia, Americae regnum; indigenas enim vasis aureis non contentos etiam fellas & vehicula integra ex auro curasse fabricanda; Pizzarrumque, superato Rege Atabalipa, tantum auri in regio Gazophylacio reperisse, ut inter laminarum aurearum longo ordine perfrues dispositarum congeriem ad earum altitudinem vix gladio extento pertingere potuerit. Quibus non immerito addimus, quæ Abraham Ortelius (λ) e Francisco Xeresio, Girava aliisque tradit, in Cusco, urbe Peruvia, ædes fuisse, cujus area, parietes & tectum undiq; aureis laminis inducta fuerint; Auzermæque provinciæ incolas ab in o calcaneo ad cervicem auro ad prælia armatos, loricas, thoraces, tibialia, omniaque ex auro fabricata; item, circa Quito urbem auri fodinas esse, unde plus auri quam terræ effodiatur; dictumq; Atabalipam Hispanis pro sua redemptione obtulisse tantum auri, quantum locus, quo ipse captivus detinebatur, capere posset. Erat autem hic viginti duos pedes longus, septendecim largus: hunc ille implere promisit in eam altitudinem, quæ ipse erecti brachii ultimo digito pertingere posset; aut si mallet, eundem bis argento ad summum usq; tectum plenum reddere. Nos autem non satis admirari possumus argenti copiam, quod e variis Misniæ fodinis effossum constat. Quantas inde opes Henricus cognomento Illustris, vel juxta alios Munificus, quatuor abhinc seculis, & quod excurrit, e Fribergensibus est consecutus? Conjicere eas licet reputantibus, quod universam Bohemiam præsentis pecunia comparare potuisse dicatur. Sunt etiam testimonio hastiludia (u) Northuse per integrum octiduum ingenti magnificentia pompa celebrata. Erigebatur enim magna arbor aureis argenteisque foliis diffusa, singulisque hastas frangentibus & in sessione permanentibus argenteum, adversarios autem ex equo deturbantibus aureum dabatur folium. Cæteros, quibus amplissima fortuna ex iisdem obtigerunt, taciti

taciti præterimus, nonnihil quoque de Schneebergensibus
 proposituri. Profecto fidem omnem excedere id videretur,
 nisi luculentissimos & ab omni mendacio maxime alienos
 testes haberemus. Anno æræ Christianæ MCCCCLXXVII.
 Serenissimus Saxoniae Dux *Albertus* cum aliquot ministris in
 fodinam, *Georgii* nomine insignitam, descendit, & parata
 mensa cum subselliis epuro argento, in eadem fuit pransus,
 non sine admiratione dicens: Unser Keyser *Friederich* ist wohl
 gewaltig und reich / gleichwol weiß ich / daß er igo keinen solchen
 stattlichen Fisch hat / referente id cum (v) *Johanne Matthesio*, mul-
 tisqve aliis (ξ) *Albino*, qui addit, daß aus solcher grossen Erbes-
 Stussen gediegen Silbers / zwey lachter hoch und ein lachter
 breit / 400. Centner Silbers gemachet worden. Clitellæqve,
 quibus insidens eam in fodinam *Albertus* se demisit, apud
 Schneebergenses in rei memoriam adhuc asservari dicuntur.
 Et ut nemo de mirifica maximorum inde & Principibus & a-
 liis factorum redituum multitudine dubitet, calculo *Philippi*
Melanchthonis suam narrationem *Albinus* (o) corroborat, o) *ibid. f. 33.*
 Sic autem Vir ille αξιόμισος: Ab anno 1471. die *Dorotheæ* ad an-
 num 1550. ex venis Schneebergensibus distributa sunt iis, qui ve-
 nas coluerunt impensis suis, 12335520483. uncialium, id est, plus 123355.
 tonnis auri. Et loco decimarum soluta Principibus 2055920080. unci-
 alium, id est plus 20559. tonnis auri. Tantundem etiam solutum
 Principibus de signatione argenti vom *Schlegel*. Summa omni-
 um facit 164473. tonnas auri. Ceterarum fodinarum, quæ &
 superioribus annis in *Misnia* nostra valde claruerunt, & ad-
 huc ingentibus argenti thesauris spes quam plurimorum ob-
 faturant, mentionem non injicimus, silentio etiam premen-
 tes utilitates in multitudine innumerabiles, quas & alia *Misni-*
carum fodinarum metalla atq; mineralia &c. a laudatissimo
Albino (π) recensita, compluribus afferant. Veritati enim π) *l. c. tit.*
 verba *Georgii Agricolæ* quam maxime respondent, (ε) scriben- *XVI. f. 123.*
 tis: Fodinae plumbariæ quæstus annuus cum fructibus agri optimi com- *seqq.*
 paratus ipsis triplus, aut minimum duplus est. Quot ergo partibus an- *(ε) lib. I. de re*
 paratus ipsis triplus, aut minimum duplus est. Quot ergo partibus an- *metallica f. 3*
 paratus ipsis triplus, aut minimum duplus est. Quot ergo partibus an- *10. edit. Basil.*
 paratus ipsis triplus, aut minimum duplus est. Quot ergo partibus an- *a. 1657.*

10. 3 OK
(σ) lib. I. de recedit eisdem fructibus questus argentariae vel aurariae venae? Et (σ)
veter. & no. alibi: Metallum auri vel argenti fertile uno anno majorem utilitatis fru-
vis metallis etiam praebet, quam ager fructuosissimus annis centum. Quibus ita
f. 672 b. init. comparatis prioris loci sententiam sequenti finit ratione: Habeant
igitur sibi agricola uberes campos colantque colles fertiles frugum gratia:
Metallicis valles tenebrosas relinquunt, & montes steriles, ut ex ipsis
eruant gemmas & metalla, non pretia modo frugum, sed & rerum o-
mnium, quae venduntur. O felicissimam igitur tot tantisque bo-
nis Misniam! Horum admiratione attonitus, calamum abjicerem,
ni dicenda restarent, quae occasionem expositis praebuerunt, Juve-
nis nempe, natalium claritate, indolis elegantia, probitatis, modes-
tiae, cupidinisque literariae laudibus non parum commendabilis,

JOH. ADAMUS Gottschald / e Wildenthal Misnicus,
a nobis ad celeberrimam Philyream abiturus, publica in concione
DEO optimo, Patronis atque Praeceptoribus gratiae mentis signifi-
cationem edere, memorque non modicorum beneficiorum e, ferra-
ria re in suos profectorum, in ejus laudem de FERRIFODINARUM
antiquitate atque utilitate agere gestit. Cujus conatum acclama-
tionibus metro adstrictis nonnulli Sympalaestritarum prosequen-
tur. Videlicet

Joh. Paulus Ditmar / Altenburg. Hebr.

Burchard Jacob Ossæus, Soltqu, March, Hebr.

Paulus Rüdiger / Altenb. Gr.

Joh. Frid. Pierer / Monstab. Altenb. Gr.

Henningius Thomæ, Altenb. Lat.

Mauritius Wilhelmus Haberland / Ciza Misn. Lat.

Gottfried Erhard / Born. Misn. Vernac.

Gottfried Ebhard / Geringsswald. Misn. Vernac.

Omnes igitur, qui humanitatis studia patrocinio, favore ac a-
more apud nos complectuntur, qua par est ratione, rogamus,
ut exoptatissima sua praesentia eam panegyrii cohonestare ne de-
dignentur, omnia grati animi genera sibi a nobis certissime pol-
licentes. NUMEN vero summum devotissimis veneramur suspiri-
is, velit Misniae nostrae felicitatem, innumeris modis auctam, ad-
versus omnium hostium molimina factam tectamque conservare,
& illos, qui Germaniae tranquillitatem ausu barbaro jam turbare
conantur, potenti coercere manu, quo nos, florente SERE-
NISSIMO PATRIAE PATRE cum CONJUGE & SOBOLE
ac UNIVERSA DOMO SAXONICA SERENISSIMIS, vitam
fortunatissimam traducere queamus. Dab. X. Oct.

MDCLXXXIX.


Et (σ)
is fru-
is sa
beant
ratia:
xipps
um o-
e bo-
erem
juve-
odes-
lis,
cione
gnifi-
erra-
RUM
ama-
ven-
ac a-
nus,
ede-
pol-
spiri-
a, ad-
vare,
rbare
RE-
OLE
um

ULB Halle 3
004 778 626


VOM







KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color



V b
3

Ad
Orationem,
de
MODINIS
MDCLXXXIX.
meridiana
in
o Altenburgerfi
endam,
lasticæ rei
& Fautores
er invitat
üller/Rector.

ichteri, Ducalis Typographi.

